

INDICTIO
PRIMÆ MARIANOPOLITANÆ SYNODI.
IGNATIUS BOURGET,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Maria-
nopolitanus, Pontificali Solio Assistens, etc., etc.

Universis Præsentes Litteras inspecturis, Salutem in
Domino.

Inter pleraque alia Episcopalis sollicitudinis officia,
præcipuum sibi locum vindicat hæc olim annua veterum
canonum jure, ac nuper Tridentini Concilii Decreto consi-
tuta Diœcesanæ Synodi convocatio atque actio utpote-
quæ ad disciplinæ ecclesiasticæ, si collapsa sit, instaurati-
onem, si adhuc vigeat, conservationem et perfectionem,
maxime conferre potest. Quocirca Nos, Sanctorum An-
tistitum vestigiis inhærere cupientes, variisque tanti mo-
menti exectionem officii usque adhuc prohibentibus ho-
die difficultatibus feliciter remotis, his Nostris Litteris,
Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, omnes et singulos
qui in hac Diœcesi nostra beneficia seu officia ecclesiastica
obtinent quibus animarum cura annexa sit, Superiores et
Rectores Seminariorum, Religiosorum Ordinum, collegio-
rum, nec non Superiores Ecclesiasticos ac Capellanos
Monialium seu Virginum Deo dicatarum monemus in Do-
mino, iisdemque omnibus et singulis, in virtute sanctæ obe-
dientiæ, ac sub pœnis canonum Sacrorum jure sancitis, ju-
bemus atque edicimus, ut ipsi clericali habitu decenti ac
superpelliceis mundis induti, die vigesima tertia Mensis